membris. Diligamus ergo eum qui imitator est Christi, diligamus eum qui inopiae alterius
corporis unitate conpatitur. Non enim cognatio facit proximum sed misericordia, quia misericordia
secundum naturam. Nihil enim tam secundum naturam quam iuvare consortem naturae.
Dictum est igitur de misericordia, sed non una est forma virtutis. XLVIII.

SUBICITUR Marthae exemplo et Mariae, alterius operibus actuo-
sa devotio, alterius religiosa mentis intentio divino verbo. Quae si cum
fide congruat, et ipsis operibus ante fertur. Iuxta quod scriptum est: Ma-
ria optimam partem sibi elegit, quae non auferetur illi. Studeamus igitur et nos habere quod ne-
mo nobis possit auferre, non ut perfunctoria sed diligens audientia de-
feratur. Solent enim et ipsius semina verbi caelestis auferri, si secus viam sint
seminata. Agat te sicut Mariam desiderium sapientiae. Hoc enim maius, hoc perfectius
opus. Nec ministerii cura a cognitione verbi caelestis avertat, nec argu-
as eos et otiosos iudices quos videas studere sapientiae. Hanc enim sibi co-
habitantem Salomon ille pacificus asciuit. Nec Martha tamen in bono
ministerio reprehenditur, sed Maria quod meliorem partem sibi elegerit an-
te fertur. Ihesus enim multis habundat et multa largitur. Et ideo sapientior
iudicatur quae quod principale advertit elegit. Denique apostoli optimum non puta-
verunt relinquere divinum verbum et ministrare mensis, sed utrumque munus sa-
pientiae est. Nam et Stephanus plenus sapientia minister electus. Et ideo qui mini-
strat doctori deferat, et ministrantem doctor invitet et provocet. Unum
enim corpus ecclesiae et si diversa membra. Alterum altero eget. Non potest dicere ocu-
lus manui: opera tua non desidero, aut iterum caput pedibus, et auricula
se negare esse de corpore. Nam et si alia principalia, tamen alia necessaria.
Sapientia in capite, actus in manibus. Oculi enim sapientis in capite eius, quia
ille vere sapit cuius animus in Christo est, et cuius interior oculus erigitur ad su-
perna. Et ideo sapientis oculi in capite ipsius, stulti autem in calcaneo.

XLVIII. QUIS vestrum habens amicum et ibit ad illum media nocte et di-
cet illi: amice, commoda mihi tres panes. Alius praecepti locus
est, ut omnibus momentis non solum diebus sed et noctibus oratio defe-
ratur. Vides enim quod iste qui media nocte perrexit tres panes ab ami-

License: CC-BY-NC – Einsiedeln, Stiftsbibliothek, Codex 166(413), p. p.%20207 – Ambrosius ‹Mediolanensis›, Expositio Evangelii secundum Lucam (http://www.e-codices.ch/en/sbe/0166/p.%20207)